

ADNOTATIONES

IN TOMUM TERTIUM ANACLETI REIFFENSTUEL

ADNOTATIO I.

Lib. II Decretal. Tit. XXI. De Testibus cogendis vel non, § II, n. 42, pag. 78.

DE TESTIBUS SYNODALIBUS.

Inter testes, qui compelli possunt ad ferendum testimonium contra Ecclesias et earum clericos, recensentur illi qui dicuntur *synodales*, atpote ab episcopo synodum agente designati, et juramento legati quod legitur apud Gratianum can. 7, caus. XXXV, quæst. 6, ibi: « Episcopus in synodo residens, post congruam allocutionem, septem ex plebe ipsius parochiæ vel eo amplius, prout viderit expedire, maturiores, honestiores, atque veraciores viros in medium debet evocare, et allatis sanctorum pignoribus unumquemque illorum tali sacramento constringat: Anodo in antea, quidquid nosti aut audisti, aut postmodum inquisiturus es, quod contra Dei voluntatem et rectam christianitatem in ista parochia factum sit aut futurum erit, si in diebus tuis eviderit, tantum ut ad tuam cognitionem quocumque modo perveniat, si seis aut tibi fuerit indicatum synodalem causam esse et ad ministerium episcopi pertinere, quod tu nec propter amorem, nec propter timorem, nec propter pretium, nec propter parentelam ullatenus celes episcopum, aut ejus missum, cui hoc inquirere jusserit, quodcumque te ex hoc interrogaverit, sic te Deus adjuvet et istæ sanctorum reliquiæ. » In isto canone, quem Gratianus a Burchardo deceptus tribuit Eutychemo Papæ, cum ejus sit auctor Regino Prumiensis, ut probat Sebastianus Berardus, in opere sæpe laudato, *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti* etc., part. II, cap. xxv, testes synodales sunt laici. « Hæc itaque formula, inquit Berardus loco citato, erat a Reginone proposita qua episcopi laicos interrogarent de illis quæ ad rectam diæceseos administrationem pertinere videbantur. » Cf. Adnotationem II voluminis primi pag. 583.

« Innocentius III in concilio Lateranensi cap. vi,

(*Collect. concil. Harduini, tom. VII, col. 23*) eadem innovavit, statuitque, ait Benedictus XIV, *de Syn. diæces.* lib. IV, cap. III, n. 4, ut in synodis provincialibus, quotannis celebrandis, synodales testes pro qualibet e provinciæ diæcesibus constituerentur, ut unusquisque sibi commissam perlustraret, quodque corrigendum deprehenderet ad futuram provincialem synodum deferret. « Per singulas diæceses, sunt verba Innocentii, statuunt idoneas » personas, providas videlicet et honestas quæ, per » totum anrum simpliciter et de plano, absque » ulla jurisdictione, sollicite investigent quæ correctione vel reformatione sint digna, et ea fideliter perferant ad metropolitanum et suffraganeos » et alios in concilio subsequenti, ut super his et » aliis, prout utilitati et honestati congruerit, provida deliberatione, procedant, et quæ statuerint » faciant observari. »

« Innocentii decretum, inquit Giralduus, *Expositio juris pontificii juxta recentiorum Ecclesiæ disciplinam*, part. I, sect. 264, licet pertineat ad solos testes a provinciali synodo designandos, non propterea abrogavit antiquum morem ut scilicet etiam a quolibet episcopo in sua diæcesana synodo deputarentur. Verum cum non ita facile, ob humanæ conditionis fragilitatem, viri vere probi et integerrimi inveniri possint qui, omni postposito humano affectu, veritatem investigent, eamque sincere, solo charitatis studio, episcopo aperiant, ideoque (sic prosequitur laudatus Benedictus loc. cit. n. 8), synodales testes fere ubique desueverunt, in eorumque locum successerunt fiscales episcoporum et decani, hoc est vicarii foranei, qui utique, quemadmodum bene animadvertit Van Espen, *Jur. eccl. univ.* tom. I, part. I, tit. XVIII, cap. III, n. 14, si doctrina, pietate, prudentia et zelo præstarent, ac munus suum diligenter obirent, synodaliū testium defectum supplerent et compensarent. »

Attamen, dum hodiernis temporibus in Galliis celebrarentur synodi provinciales et diæcesanæ, inter viros ecclesiasticos uniuscujusque diæcesis, doctrina et virtute insignes, testes synodales opportune delecti fuerunt.

ADNOTATIO II.

Lib. I. Tit. XXII. De Fide instrumentorum, § III. n. 84, p. 94.

SIGILLARE CUM CORRIGIA, QUID?

« Si quis vellet, inquit auctor noster, sigillare (instrumentum) cum re non habente characteres, v. g. cum corrigia vel hujusmodi, nihil ageret. » Corrigia dicitur fasciola quaedam chartis appensa. Olim, deficiente sigillo, nodus fiebat cum corrigia dependente, ut probat charta anni 1122, ex tabulario Fontevraldensi desumpta, in qua legitur: « Ego Aimericus prior de Brajerac propria manu subscripsi, et in corrigia quæ in charta dependet nodum feci. » Et infra: « Ego Willelmus de Scannis propria manu mea presentis chartæ signum crucis impressi, et nodum in corrigia quæ de cruce pendet feci. » Cf. Du Cange, *Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis*, vº Corrigia.

ADNOTATIO III.

Lib. I. Tit. XXII. § III. n. 85, p. 94.

DE ANNULIS IN GENERE ET IN SPECIE DE SIGILLARITIBUS.

Eruditi libenter perlegent ea quæ Joannes Albertus Fabricius de annulis digessit in sua *Bibliographia antiquaria*, Hamburgi et Lipsiæ, 1713, in-4º, pag. 554 et seq.

« Operæ pretium est hoc loco etiam nonnulla de annulis quoque adungere, quod argumentum præ cæteris illustravit Joannes Kirchmannus, Lubecæ suæ decas, in libro singulari *De annulis*, edito Lubecæ, 1623, in-8º; Sleswici, 1657, in-8º, cura filii ejus cognominis anno decimo quarto post auctoris fati, fœtum hunc posthumum in lucem protrahentis. Post hæc doctissimas Kirchmanni de annulis meditationes, Franciscum Bernardinum Ferrarium neque suas sæculo invidere velle scripsit Joannes Rhodius in libro de *Ascia* pag. 63. Sed hæc tenus quidem Ferrario pridem defuncto nihil, quod sciam, hujus argumenti ab eo editum est, quanquam Octavii Ferrarii præclaræ quædam de annulorum apud Romanos usu observationes leguntur lib. I *Electorum*, cap. XXI. Ferreis utebantur plebei homines in litesque manipulares et servi; argenteis plebs, aureis equites et senatus. Vide jurisconsultos ad Digest. L. XL, c. XX, de *Jure auroreorum annulorum*, Salmasium f. 170, ad *Hist. August.* Lipsium, *Elect.* II, cap. 8; Joana. Mercetium, lib. I. *Opinion.* cap. VIII; Bernartium ad III, 3, *Sylv.* Statii et Gasp. Barth. tom. I ad Statium, pag. 320.

« De luxu in annulorum multitudine, vide quæ viri docti ad Martial. XI, 60, et Valesium ad Ammian. XXVIII, in-4º, pag. 531 et seq.

« Cur manu sinistra frequentius gestari soliti, plures causas comminiscitur Mich. Piccartus, *Epist. ad Kirchmannum*, post Gudianas, pag. 255.

« De annulis signatoris antiquorum, quibus etiam ad cellas, arcas et res alias quascumque obsignandas usi sunt, scripsit Georg. Longus Mediolan. 1618 in-8º et Lipsiæ 1709 in-8º, Kirchmannus cap. V, Lipsius ad Tacitum lib. II *Annalium*, Laur. Zaccagnius J. C. in notis ad *Acta Archelai cum Manete*, pag. 441, qui pag. 27. observat cera vel creta sive luto ad obsignandum usos veteres fuisse. De cera notavit etiam Vossius, lib. IV operis *de Idololatria* cap. XCI. Præcipue vero, de modo signandi epistolas et testamenta apud veteres, consulendus Salmasius, lib. *de Modo usurarum* et in specimine confutationis *Animadversionum* Des. Heraldii. Vide et Novarinum, lib. V *Schediasmatum* cap. XXIX, et, de annulo, quo fons baptismi signatus, notas ad Optatum pag. 9, seq. et 12 editionis Amstelodamensis. Annuli illi consignatores etiam sigillaritii dicuntur a Vopisco in Aureliano cap. I, qui cap. XLII affert dictum mimi cujusdam bonos principes omnes in uno annulo posse perscribi....

« Quoad varia simulachra sive ut ex Plinii X, 16 *Epist.* dicam *aposphragmata* quibus annuli ordinati apud veteres fuerunt, sive deorum, de quibus Ryequius cap. XXII de *Capitolio*, sive alius quibuscumque ut in Syllæ et Pompeii annulo tria trophaea in-culpa testatur Xiphilinus pag. 49 et seq. videri possunt Fortunius Licetus de *Annulis antiquis*, Utini 1645 in-4º; Leonardus Augustinus de *Gemmis annulorum* Francof. 1694, in-4º, cum Jac. Gronovii notis; Abrahami Gorlæi *Dactylitheca* cum præfat. Elii Everardi Vorstii *De origine annulorum*, et animadversionibus ejusd. Gronovii, Lugduni Batavorum 1695, in-4º. Hic Gorlæus male bis vocatur Abraham Gercus in Aringhi *roma subterranea* VI, 50, pag. 383, ubi et ipse de annulis varia non contemnenda collegit, occasione annulorum in sepulchris antiquis repertorum.

« Præclara etiam de annulis et sigillis observavit Joannes Mabillonius lib. II. *De re diplomatica*, cui jungendum D. Joan. Mich. Heineccii opus præclarum *De veteribus Germanorum aliarumque nationum sigillis*, Francofurti 1709, in-1º. Vide et de annulis veterum Matthiam Zimmermannum in *Florilegio*, Joan. Conr. Dietericum in *Antiquitatibus biblicis* V. T. ad Jeremiam XXII, 24, pag. 628 et seq. Alexandrum ab Alexandro, II, 49; Theophilum Raynaudum, tom. VII opp. pag. 501 et seq. Josephi Laurentii *Polymathiam* lib. I, diss. XI et Martini de Roa *Singularia scripturæ* part II, pag. 460 et seq.; Georgii Thegen dissertationem *De Annulorum in republica usu*, Regiomont. 1701; Dan. Guill. Molleri *de Annulo Trinitario*, Altdorff. 1701; *de Annulo pastorali* D. Joan. Adami Schmidii diatribam, Helmstad: 1706; *de Annulo pronubo*, dissertationem Petri Mulleri jurisconsulti plus simpliciter vice editam. *De annulis magicis* agit Joannes Michael in notis ad Caffarelli *Curiositates inauditas*, pag. 267. De annulis ex cortice surculi palmei, quibus Judæi, olim Alexandriae seditionem motori, velut tessera inter se usi sunt, memorat Socrates

VII, 13, *Hist.* Multa etiam nec contemnenda de vario annulorum genere congressit Andreas Stubeius, in notis ad *Panegyricum* dicatum solemnem creationi magistrorum, Lipsiæ, 1684, in-4º. *Δακτυλογράφος* Cicer. IV. *Academ.* qui vocatur annularius. Duumvir collegii annulariorum memoratur in veteri inscriptione apud Begerum pag. 81 *Spicilegii antiquitatis*.

« Claudam brevem hanc scriptorum de annulis notitiam tabella judaica, qua aiunt beatis singulis, antequam paradisum ingrediantur, decem annulos ab angelo porrigi, quorum inscriptiones vide, ubi lubebit, apud Pocockium in *Miscellaneis*, pag. 295 et sequenti. »

Cf. quæ sunt dicenda sub Adnotatione XXXIV hujusce voluminis.

ADNOTATIO IV.

Lib. II. Tit. XXII. § IV, n. 113, p. 99.

DE JURE ARCHIVII PRO CANONICORUM COLLEGII.

Juxta doctrinam auctoris nostri, jus archivii tantummodo competit prælati ecclesiasticis majoribus. Porro inter illos recensetur quodvis capitulum metropolitanum aut cathedrale, utpote jurisdictionem in habitu semper retinens, et in actu aliquando exercens secundum canonicas regulas, sede vacante. Ideo, dum anno 1808, bonæ memoriæ Pius PP. VII ecclesiam Montis Albani in Galliis erigebat in cathedralem, instituit « unam seu plures dignitates et convenientem numerum canonicatum, pro totidem futuris dignitate seu dignitatibus et canonicis, qui eidem Ecclesie Montis Albani una cum aliis presbyteris et clericis inservire teneantur; quique capitulum dicte cathedralis ecclesie constituent cum suis pariter choro, mensa capitulari, arca, bursa et sigillo communibus. » (PELLETIER, *Des Chapitres cathédraux en France*, Parisiis, Lecoffre, 1864, cap. XXXI). Attente legantur et sane intelligantur verba pontificia. Mensa capitularis, arca et bursa non idem sonant. Arca scilicet refertur ad archivium in quo deponuntur et asservantur instrumenta. « Arca dicta, inquit Isidorus in libro *Originum* XX, cap. IX, quod arceat visum atque prohibeat. Illic et archivum, hinc et arcanum, id est secretum, unde cæteri arcentur. » Quando igitur Pontifex erigit ecclesiam episcopalem cum capitulo, licet non semper expressis verbis ipsi capitulo jus archivii conferat, illud jus subintelligi debet inter jura de more et clausulis generalibus concessa. « Cui nempe capitulo ea ipsa incumbere debent onera atque ecclesiastica muria, quibus cætera cathedralia capitula in Gallia ordinariæ perfrauntur, cum facultate utendi eisdem choralibus indumentis atque insigniis, fruendique iisdem omnibus et singulis juribus, honoribus, indultis, gratiis, favoribus, prerogativis, cæterisque tandem privilegiis quibuscumque, dummodo adhuc an usu suo, necne seculari ex concessione vel one-

roso titulo acquisita esse dignoscantur. » Sunt verba Sanctissimi D. N. Pii PP. IX Ecclesiam cathedrallem in civitate Vallis-Gaidonis in Gallia, anno 1833, erigentis. Cf. Pelletier, *ibid.* cap. LXX, aut *Analecta juris pontificii*, fasciculo 54.

Porro jus prædictum archivii non videtur competere collegiis canonicorum non cathedralibus. In exemplum exstant litteræ apostolicæ *Consueverunt*, die 31 martii 1837. a prælaudato Pontifice Pio IX pro erectione capituli exempti in civitate Sanci Dionysii prope Parisios datæ, in quibus nec ullum deprehenditur verbum ad prædictum jus archivii respiciens. Attamen cum idem Pontifex mandaverit ut capitulum canonicè erectum, infra annum a datis hisce litteris computandum, suas constitutiones conficeret, postmodum Apostolicæ Sedis examini pro necessaria sanctione subjiciendas, canonici San-Dionysiani apprimè potuerunt in suis constitutionibus jus archivii pro se ipsis exprimere et firmiter obtinere, accedente Pontificis approbatione. Cf. prædictas litteras in collectione legum gallicarum, vulgo *Bulletin des lois*, XI serie, n. 4863, licet versio gallica plurimis scateat mendis; aut in foliis mensilibus *Bulletin des lois civiles ecclésiastiques, et Nouveau journal des conseils de fabriques* nuncupatis, pro anno 1837.

Hoc in loco memorare juvat dispositiones quasdam concilii tertii provinciæ Mediolanensis sub sancto Carolo celebrati et a Sancta Sede approbati, ex Bartholomæi Gavanti *Enchiridione seu manuali episcoporum* fideliter desumptas. « In archivii capitulorum, duo canonici præficiantur cum diversis clavibus et ad biennium, ita tamen ut alter tantum per vices mutetur, et novus sit cum antiquiore. Periculo suo asservanda recipiant per instrumentum, et successoribus scripta consignent coram deputato a capitulo. Inventarium ideo fiat in libro. Ea quæ ad præbendas singulorum canonicorum attinent, in illud inserantur, vel saltem exempla authentica. Nec auferri, neque describi quidquam liceat sine consensu capituli. Si concedatur exerceri, fiat in loco archivii seu capituli coram præfectis archivii. » Utinam hæc regulæ ab omnibus capitulis serventur!

ADNOTATIO V.

Lib. II. Tit. XXII. § IV, n. 115, p. 100.

SOLUTIONES CANONUM, QUID?

« Canon, pensitatio, inquit du Cange. Tria pensitationum genera recenset Asconius in tertiam Verrinam, canonem, oblationem, indictionem. Ac canon quidem, seu canonicus tituli, sunt solemnes et antiquæ præstationes; *in vctio*, quidquid præter canonem indicitur; *oblatio* denique, aurum et argentum, quod largitionibus inferebatur. De ejusmodi pensitationibus multa habent Cujacius, Jacobus Gothofredus, Henricus Valesius et alii. Charta Philippi regis Franc. anni 1271: « Sic quod possit

» subeundare et in acapitum dare, retento dicto » templo iudicio, canone sive servitio. » Charta anni 1318 ex archivo S. Victoris Massiliensis, armor. Neomausensis diocesis, n. 1 : « Pro supra- » dictorum annuo canone seu servitio solam libram » piperis dicta Ecclesia dabit. » Charta Guillelmi Dalmatii Aptensis episcopi an. 1247, inter instrumenta tom. I, novæ Gall. *Christ.* pag. 80, col. 1 : « De » novo concedimus et donamus ipsi nobili Ber- » trando Raybaudo dictum castrum in feudum... » excepto quod census de dicto castro, sive cano- » nem, qui erat unius sterlingi, permittimus in » unum multonem vivum, qui valeat octo solidos » Willelmenses, quem serviat dictus nobilis vir » B. Raybaudi annuatim in vigilia beati Martini. » Consuetudo Lemovicensis art. 99 : « Præterea » emphyteote, et alii qui debent census annuos, si » non solvant ad diem statutum census, vel ca- » nonem, vel etiam pensionem... » Vide Ache- » rium, tom. VI *Spicileg.* pag. 194, et Fredericum Schannatum *Vindem. litter.* pag. 138, statuta Los- » sensia apud Joannem Mantellium, *Hist. Loss.* part. III, pag. 47 : « Si un locataire renonce à son stuit » avant la Saint-André, il n'est obligé qu'aux ca- » nons arriérés; mais s'il le fait après la Saint-An- » dré, il doit encore ce dernier canon; » hoc est pretium, vel saltem pretii partem locationis annuæ statuto tempore solvendam. Pluries occurrit ibi eadem significatione; sed et practicis nostris « ca- » non emphytéotique » etiamnum dicitur vectigal annuum ex fundo emphyteutico solvendum. (*Glossarium ad scriptores mediæ et infimæ latinitatis, vº Canon.*)

ADNOTATIO VI.

Lib. II, Tit. XXII. § IV, n. 128, p. 102

RECENTIORUM CONCILIORUM DECRETA DE LIBRIS PAROCHIALIBUS.

Concilium Parisiense, anno 1849 celebratum, tit. III, cap. VIII, *De foundationum executione*, sic se habet : « Ut plenæ et assiduæ foundationum executioni quæ in singulis Ecclesiis, sive cathedralibus, sive parochialibus, necnon in sacellis vicarialibus, annexis, aliisve locis piis canonice erectis constituuntur, invigilet episcopus exigunt simul religio, caritas et justitia. Ideo decernunt Patres in prædictis locis quamprimum conficiendum esse indicem omnium tum bonorum et reddituum, tum onerum, tum denique instrumentorum quibus innotescit fundatorum voluntas. Mittatur dictus index ad episcopum in ejus cancellaria asservandus. Insuper in iisdem Ecclesiis, vel saltem in loco adjacenti, semper pendeat tabella quæ, secundum anni dies, piorum onerum compendium palam oculis exhibeat. Moneamus etiam et obtestamur parochos, capellanos, imo sacrorum locorum in temporalibus administratores quoscumque, etiam laicos, ut omni humano respectu postposito, foundationum titulos

sedulo requirant, diligenter servent, et opportuno tempore renovari curent. Nullas denique omitant cautiones a lege civili vel aliunde requisitas, quibus jura sibi concedita integra et sartatecta permaneant. »

In concilio Rhedonensi, eodem anno celebrato, legitur, decreto XVII : « Maximi est momenti ut in regesto cuncta inscribantur nomina baptizatorum in ordine quo fuerunt imposita, accurate et modo ad legendum facillimo. Nunquam omitat sacerdos diligenter conficere actum baptismalem et chirographa patrini saltem et matrinx requirere... Habeatur etiam in unaquaque Ecclesia parochiali liber confirmatorum, in quo ipsorum nomina inscribantur. »

Concilium Lugdunense, anno 1850 habitum, hæc quæ sequuntur præcipit, XXIII, *De regimine bonorum Ecclesiæ* : « Rationum et deliberationum libri sint adamussim exarati et recodati. Redditi accurate percipiuntur ne, eorum penuria, cultus divini majestas imminuatur. Igitur instrumenta, quæ spectant ad bona sive mobilia, sive immobilia, ne perimantur aut pereant præscribantur, sed ut sartatecta serventur, continuo invigilent Ecclesiæ rectores... Juxta ordinarii præscripta, omnium sive immobilium sive mobilium inventarium rite confectum habeatur. Foundationum antiquarum instrumenta sedulo serventur, et onera iis imposita, quæ non nisi ad mentem concilii Tridentini, sess. XXV *de Reform.* cap. IV, servatis constitutionibus Urbani VIII, *Sæpe*, 21 junii 1623, et Innocentii XII, *Nuper*, 23 decembris 1697, reduci possunt, religiose persolvantur... In quolibet sacario, tabella palam collocata missas celebrandas atque in foundationibus præstanda exhibeat. »

Patres concilii Auscitani, anno 1851 celebrati, sic loquuntur, tit. III, cap. I : « Mandamus sacerdotibus ad quos spectat baptismi dispensatio ut librum seu regesta habeant parochialia, in quibus ad futuram memoriam singula baptismata ex ordine recenseant, cum baptizati, ejus parentum et susceptorum nominibus. Horum authenticum exemplum quotannis ad archiva episcopalia transmittant. Si quis in aliena parochia, cum proprii sacerdotis vel ordinarii licentia, baptizatus fuerit, in libro suæ parochiæ inscribatur... Confirmatorum nomina in parochialibus regestis sedulo inscribantur, notato confirmationis die, patrini et confirmantis pontificis nomine. »

In actis et decretis primi concilii provinciæ Westmonasteriensis, in Anglia, anno 1852 habiti, part. II, art. XVI et XVII, hæc reperiuntur : « Liber item baptizatorum a sacerdote sedulo et caute in sacario servetur, in quo baptizatorum necnon patrini ac matrinx nomina ab ipso sacerdote, forma injuncta, conscribantur, et uniformitas in iis conscribendis per totam provinciam obtineatur... Teneatur in unaquaque Ecclesia registrum confirmatorum, inserto nomine patrini seu matrinx; et elenchus confirmatorum episcopo tradatur. »

« Parochus, cui copulationem peragere competit tenetur matrimonium contractum cum omnibus rerum adjunctis, quæ ad probationem efficiendam necessaria vel utilia sunt, libro nuptiali parochiæ propria manu inscribere. Distincte igitur exprimentur : nomen baptismale, cognomen, ætas, religio, habitatio et conditio conjugum; insuper an prius jam matrimonio juncti fuerint necne; porro nomen, religio et conditio parentum ac testium, dies quo, necnon, sacerdos coram quo matrimonium inierunt. Quod si difficultates emeruerint, modus quo sublata fuerint indicandus erit. (*Instructio de causis matrimonialibus, § 76 ad calc. Act. et decret. conc. Viennensis anno 1858 celebrati.*) »

ADNOTATIO VII.

Lib. II, Tit. XXII. § VIII, n. 255, p. 122.

DE ACTIS PRODUCENDIS CORAM JUDICE APPELLATIONIS.

« Præcipitur in decretali 12, *G. Perpetuus*, hoc titulo, copiam instrumentorum communium, id est, actorum in prima instantia dandam esse, ab appellante producendam coram iudice appellationis. Huic sanctioni accessit decretum concilii Tridentini, tam quoad causas criminales quam civiles. Quod ad causas criminales spectat, hæc ab eodem concilio, sess. XIII, *de Reform.* cap. III, sancita sunt, ibi. « Reus ab episcopo aut ejus vicario in spiritalibus generalis, in criminali causa appellans, coram iudice ad quem appellavit acta primæ instantiæ omnino producat; et iudex, nisi illis visis, ad ejus absolutionem minime procedat. Is autem a quo appellatum fuerit intra triginta dies acta ipsa postulanti gratis exhibeat, alioqui absque illis causa appellationis hujusmodi, prout justitia suaserit, terminetur. »

« Circa quod decretum testatur Fagnanus, in supra relata decretali n. 11, Congregationem Concilii censuisse non esse distinguendum an in istis causis procedatur ex officio iudicis, an ad querelam partis. Quia vero in citato cap. III, Concilium nihil statuit quo pacto causa sine actis terminari possit aut debeat, sicuti quo remedio succurrendum sit appellanti in definitione causæ, si notarius differat exhibitionem actorum, et iudex sit in hoc culpabilis, non adjiciendo in utrumque ita delinquentem dumtaxat penam, ut videre est in cap. XX, sess. XXIV, de quo infra, eadem Congregatio censuit, ut refert laudatus Fagnanus, loc. cit. nn. 29 et 32, tenendam esse theoriam Innocentii ad hanc decretalem n. 1, a canonistis et legistis frequentissime receptam, videlicet, constito de contumacia iudicis a quo, et notarii recusantis exhibere acta, partem iudicis ad quem esse appellentem a molestiis absolvere, et pronuntiare acta et sententiam iudicis a quo, si forte unquam reperiantur, cassa fore et vana; dummodo tamen petens velit expensas administrare. Censuit etiam dicta Congregatio appellatum teneri ad expensas translationis

actorum, si ipse, non autem appellans, prosequi causam voluerit : quibus postea si appellans uti voluerit, hunc teneri pro rata expensas subire, nisi aliter ferat loci consuetudo.

« Quod vero spectat ad causas civiles, præfatum Concilium, cap. XX *de Reform.* sess. XXIV, ita statuit : « Præterea, si quis in casibus a jure permisis appellaverit etc... » Circa quod decretum refert idem Fagnanus, loco cit. nn. 13 et 14, quod S. Congregatio fuit in sensu appellentem teneri propriis expensis transferre omnia acta, etiam ad justitiæ causam non facientia, et id habere locum etiam in causis profanis, spectantibus ad forum ecclesiasticum, et in actis factis a partibus coram iudice delegato apostolico, ita ut appellans audiri nequeat in curia, nisi dicta acta producantur.

« Item refert n. 16 quod eadem Congregatio censuit episcopum ejusque notarium cogi posse a delegato apostolico, appellationis iudice, nedum ad exhibendam copiam integram actorum, sed etiam originalia, quoties idem delegatus de fide exempli seu copiæ sit dubius.

« Cum autem in principio cit. cap. XX dicatur causæ omnes ad forum ecclesiasticum « pertinentes » ortum fuit dubium an in dicto capite, § *Præterea*, comprehendantur etiam causæ profanæ, ad iudicem ecclesiasticum per appellationem devolutæ; quas Fagnanus n. 17 refert Congregationem censuisse non comprehendi, licet iudici ecclesiastico commissæ fuissent sive in prima, sive in secunda instantia. Refert etiam n. 32, quoad mercedem dandam notario, a Concilio præscriptam cit. § *Præterea* sacr. Congregationem hoc decretum limitasse, videlicet hanc utique dandam esse, si notarius sit, non vero, si sit cancellarius episcopi. » (Giraldus, *Expositio juris pontificii juxta recentiorum Ecclesiæ disciplinam*, part. I, sect. 266.

ADNOTATIO VIII.

Lib. II, Tit. XXII. § IX, n. 260, pag. 123.

DE NOTARIIS PRO CAUSIS ECCLESIASTICIS.

Canonistæ docent episcopos creare posse notarios pro suis respective diocesis, et revera notariorum hujusmodi officia valde utilia sunt respectu tam episcopi quam subditorum. Sit in exemplum opus cui titulus : *Le parfait notaire apostolique*, a Joanne Ludovico Brunet exaratum; secunda editio revisa notabiliterque aucta, Lugduni, 1773, 2 vol. in-4º. In hoc opere, post dissertationem præviam de notariorum origine et de notariatu, tota materies in novem libros dividitur scilicet : I. De variis notariorum apostolicorum generibus, de eorum competentia et officiis; II. De actis ad sacramenta spectantibus; III. De actis ad dignitates ecclesiasticas spectantibus; IV. De actis jurisdictionis episcopalis; V. De actis quæ respiciunt ad beneficia in genere; VI. De modis canonice perveniendi ad beneficia; VII. De actis faciendis ut beneficium cano-

nice deseratur; VIII. De transactionibus in materia beneficiis; IX. De actis quæ se referunt ad statum regularium. Subjungitur tractatus cui titulus: *Le parfait procureur des officialités*. Non diffitemur quod author et auctor nimium faveant secularibus principibus in rebus ecclesiasticis, sed attentus lector quæ sunt rejicienda facile deprehendet. Cf. etiam Monacelli, *Formularium legale*.

In Galliis, juxta praxim hodiernam, episcoporum cancellarii notariorum munere, quando opus est, funguntur; sed isti officiales, ad nutum amovibiles, in quibusdam causis non omnem subditorum fidem sibi conciliare possunt. Revera, quando temporibus nostris synodi tum provinciales tum diœcesanæ celebratae fuerunt, notarios pro tempore sessionis episcopi creaverunt, quod et accidit in causis beatificationis et canonizationis servorum Dei. Nihil obstat quominus duo vel tres notarii pro quavis diœcesi permanentiter instituantur.

ADNOTATIO IX.

Lib. II. Decretalium, Tit. XXIII. De Præsumptionibus, § II, n. 55, pag. 145.

DE PRÆSUMENDO IMPEDIMENTO IN RE MATRIMONIALI.

« Ex textu cap. 13. *Tertio loco*, huj. tit. colligitur quod licet alias nec fama, seu rumor viciniæ, nec propria conjugum confessio de interveniente impedimento affinitatis, contractæ per copulam fornicariam cum consanguinea uxoris ante initum matrimonium, sufficiat ad divortium, seu separationem conjugum quoad vinculum matrimonii, juxta cap. 5, *Super eo*. — *De eo qui cognovit consanguine uxoris*; si tamen plura talia adminicula concurrant, quæ simul sumpta præsumptionem violentam faciant, tunc ea sufficiunt ad plenam probationem faciendam, ut in casu hujus decretalis, ubi erant per testes probata, saltem remote, fornicationis indicia cum consanguinea uxoris, seu sponsæ de præsentibus, quod nimirum vir et neptis sponsæ visi sint per plana et nemora, vias et invia sæpius simul vagari, deinde fama publica et testimonium viciniæ super eodem ac denique accessit etiam confessio, juramento firmata, tam viri, alioquin propendentis ad sponsam ductam retinendam, tum ipsius mulieris per dictum virum carnaliter cognita. Hæc enim licet singula seorsim non sufficiant ad plenam probationem, simul tamen juncta sufficienter informant animum judicis ad judicandum subesse impedimentum dirimens affinitatis, et pronuntiandum matrimonium seu sponsalia de præsentibus, inter tales inita, esse irrita, quia quæ non prosunt singula collecta juvant, ut habet Glossa hic, §. *Dicta sunt*. Farinacius in *Prax. crimin.* part. V, quæst. 136, nn. 8, 151 et 152, ubi ait quod, in casu hujus decretalis, præter confessionem juratam viri et mulieris quod invicem se carnaliter cognoverint, concurrant etiam vagatio per nemora et loca solitaria, testimonium pariter

ex publica fama viciniæ, quasi alias Pontifex, his non concurrentibus, non permisisset dictos conjuges ab invicem separari.

» Omnes doctores scribentes circa hunc textum, inter quos Abbas, Piringh, Layman, Wagnerek, Allagona, Barbosa et Glossa hic interpretantur illum intelligendum esse non de separatione quoad thorum, sed quoad vinculum.

» Neque ex eo quod Pontifex usus sit verbo *consultius est* argui potest quod dubium habuerit de affinitate contracta, quia iste est terminus obvius et communis quo utuntur Pontifices in decretalibus, licet definitive resolvant sive præcipiendo, sive prohibendo, sive declarando. Accedit quod si dubium habuisset de contracta affinitate non præcepisset dissolutionem matrimonii, cum in dubio pronuntiandum sit pro eo, non contra, juxta decretalem Innocentii III in cap. *Licet. De testibus et attestationibus*, ibi: « Tolerabilis est enim alii quos contra statuta hominum dimittere copulatos » quam conjunctos legitime contra statuta Domini separare. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I. sect. 270.)

ADNOTATIO X.

Lib. II. Tit. XXIII, § III, n. 70, pag. 149.

DE TORTURA, PURGATIONE CANONICA ET VULGARI.

Sic loquitur auctor noster: « Remanet proinde quod si solæ vehementes conjecturæ seu præsumptiones urgeant, in causis criminalibus criminaliter motis, reus non sit condemnandus; sed, vel is ad extorquendam confessionem subjiciatur torturæ, spectato præsertim jure civili; vel ipsi indicatur purgatio canonica, juxta sacros canones tot. tit. *De purgatione canonica*. » Nota verba hæc: *spectato præsertim jure civili*, quia nullibi, in jure canonico, tortura tanquam medium confessionis obtinendæ præcipitur, aut etiam consulitur. E contra, apud Gratianum II, caus. II, quæst. 5, cap. *Consuluisti* sic docet Stephanus PP. V: « Consuluisti de infantibus, qui in uno lecto dormientes cum parentibus mortui reperiuntur, utrum ferro candente aut aqua fervente, seu alio quolibet examine, parentes se purificare debeant eos non oppressisse. Monendi sunt namque et protestandi parentes ne tam tenellos secum in uno lecto collocent, ne negligentia qualibet proveniente suffocentur vel opprimantur, unde ipsi homicidii rei inveniantur. Nam ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorqueri a quolibet sacri non censent canones; et quod sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosa adinventio non est præsumendum. Spontanea enim confessio vel testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commissa sunt regimini nostro judicare. Occulta vero et incognita illi sunt relinquenda qui solus novit corda filiorum hominum. Hi autem, qui probantur vel confitentur

talis reatus se noxios, tua eos castiget moderatio, quia, si ille qui conceptum in utero per abortum deleverit homicida est, quanto magis qui unius saltem diei puerulum peremerit homicidam se esse excusare nequibit? »

Accedit cap. *Si quandoque* caus. XV, quæst. 6, ibi: « Si quandoque a sacerdotibus et auctoribus Ecclesiæ quædam scripturæ quoquo modo per metum, aut fraudem aut per vim extortæ fuerint, vel ut se liberare possint, quocumque ab eis conscriptæ aut roboratæ fuerint ingenio, ad nullum eis præjudicium vel nocumentum valere censemus... Confessio vero in talibus non compulsæ sed spontanea fieri debet. »

Attamen canonistæ veteres non omnino torturam reprobabant, spectato præsertim jure civili, ut loquitur Reiffenstuel, ex dictis in Proemio hujusce *Jur. canon. universi*, § XIII, de *Confederatione juris civilis cum canonico*, vol. I, pag. 53, ubi hæc leguntur: « Sicut leges non dedignantur sacros canones imitari, ita et sanctorum statuta canonum principum constitutionibus adjuvantur, cap. 1, *De novi operis nuntial*. Ubi Glossa §. *Adjuvantur* notabiliter infert: Et ita in causa ecclesiastica leges possumus allegare ut, etiamsi canones deficiant, possit judicari secundum leges. » Sufficiuntne rationes illæ ad legitimandum torturæ usum in tribunalibus ecclesiasticis? Non nobis liquet. Cf. G. d'Espinau, *De l'Influence du droit canonique sur la législation française*, Tolosæ, 1836, Bonnal et Gilbac, pag. 120 et 229. Auctor allegat librum VII Decretalium qui, ut omnes sciunt, non fuit publicatus, nec inter fontes juris canonici recenseri debet.

Quoad purgationem canonicam, hæc scribit Giraldus: « Cum autem ab infamato seu suspecto de crimine præstandum erat juramentum se illud non commisisse, ut statuitur cap. 1, 4 et 16 *De Purgatione canonica*, si forte in aliquibus curiis adhuc mos vigeat hanc purgationem indicendi, ita iudices monitos vult Van Espæ part. III, tit. VIII, cap. iv, n. 38: « Quia et iudices merito in indicenda hæc purgatione circumspici esse debent, ne eam facilius indicendo sacrilegii et perjurii participes efficiantur; etenim cum homines, qui magnum criminum sunt rei, ausi fuerint propter utilitatem aut voluptatem quas in criminibus quæsierunt, graviter eos impingere in legem æternam ejusmodi crimina prohibentem magnopere timendum est ne, ut supplicium et infamiam quæ ob crimina commissa imminere evadant, pejerare audeant. Facile est hinc videre quam sæpe sacrilegium sit ab ejusmodi criminosis expetere ut juramento se purgent, cum, si non certum sit, saltem admodum verisimile quod pejerabunt, si crimina revera commiserint: temerarium proinde est credere quod tale crimen non commiserint, quia jurant se non commisisse. » (*Exposit. juris pontif.* part. I, sect. 894.) Insuper idem Giraldus passim docet purgationem canonicam omnino nunc obsolevisse.

Tandem purgatio dicta vulgaris absolute jure canonico interdicitur. Sic enim se habet rubrica tituli XXXV, lib. V Decretalium, *De Purgatione vulgari*: « Duella et aliæ purgationes vulgares prohibita sunt quia per eas multoties condemnatur absolvendus, et Deus tentari videtur. »

ADNOTATIO XI.

Lib. II. Tit. XXIII, § IV, n. 98, pag. 154.

DE PRÆSUMPTIONE ORTA EX VITA HACTENUS HONESTA.

« Hæc præsumptio, inquit Giraldus, est verisimilis dumtaxat et aliquando fallit, ut fefellit in ipso Salomone, cujus cor, cum jam senuisset, per mulieres depravatam fuisse refertur III Reg. cap. xi, v. 4, adeo ut contra ipsum locum habere possit illud adagium: « Angelicus juvenis senibus sathanizatur in annis. » Ideoque neque Innocentius in cap. 15, *Cum in juventute*, hoc eod. titulo, hujusmodi præsumptioni acquievit: voluit siquidem inquisitionem occultam fieri per dictos episcopum et abbatem, non quidem super veritate, sed super credulitate et infamia quæ, licet a malevolis orta, si tamen tanta est ut bonis et gravibus viris scandalum ingerat, præstat sufficiens fundamentum ad iudicium exquirendum, etiam super veritate criminis objecti. » (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 268.)

ADNOTATIO XII.

Lib. II. Decretal. Tit. XXIV, De jurejurando, § II, n. 67, pag. 167.

DE SENSU JURAMENTI IN QUIBUSDAM CAPITULIS PRÆSTITI PRO STATUTORUM OBSERVATIONE.

Quintæ conditiones, quæ tacite subintelliguntur in omni juramento promissorio, quamvis absolute facta, sunt notandæ scilicet: I. Si potero licite; II. Salvo jure, et auctoritate superioris; III. Si non is sponte remiserit in cujus favorem juratum est; IV. Si res in eodem statu permanserint; V. Si et altera pars fidem servaverit. Meminerint horum conditionum præsertim canonici qui præstiterunt juramentum de servandis statutis quæ non fuerunt ad tramites juris concinnata, Cf. ea de re D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en France*, Parisiis, 1864, Lecoffre, capit. xv, XLIV et LII; et *Mémoire pour le chapitre cathédral de Nice*, Parisiis, 1865, Lecoffre.

ADNOTATIO XIII.

Lib. II. Tit. XXIV, § III, n. 84, pag. 170.

STATUTA ILLICITA, DAMNOSA, VEL LIBERTATI ECCLESIASTICÆ CONTRARIA, NUL' ATENUS SERVANDA, QUAMVIS JURATA. QUÆDAM DE JURAMENTIS PRINCIPIBUS SÆCULARIBUS PRÆSTITIS.

Cum doctrina nostri auctoris apprime congruat quæ a D. Pelletier, *Des chapitres cathédraux en*